LONDON·MEDICAL SOCIETY

26

GEORGII ERNESTI STAHL,

MED. D. ET PROFESS. PUBL. ORDINAR.

h. t. DECAN.

PROPEMPTICON INAUGURALE

DE

CURATIONE

IN CHARTA.

NOn magis quotidianus uſus, imo abuſus deblaterandi proverbia quam ipſa adeo Experientia nimis obvia & familiaris, in contemtum tandem adducit juſtas penſitationes atque exiſtimationem ſententiarum in communi vita utiliſſimarum; Quas non interire, ſed in viridi memoria atque obſervantia ſeruari plurimum intererat. Dabimus ejus rei in præſentia duo Specimina; Alterum ad mores, alterum ad medicinam pertinens: Quamvis in genere non pœnitendam *συζυγίαν* habeant. Illud, eſt priſcum apophtegma; Veritas odium parit. Hoc quoniam à puero è Terentio diſcit juventus, ejusque rei in tota vita, veluti quotidiana videt atq; audit exempla; aſſueſcit adeo huic proverbio, ut illud quaſi quotidianum jocum in ore gerens, non ſolum, quoties ejus rei effectus occurrit, quaſi ludicrum hoc epiphonema adjiciat: Sed etiam ex ipſo ſenſu Proverbii, ex imprudenti primum levitate, mox vero inconſiderata aſſuetudine, perverſa interpretatione, tanquam cautelam, & præceptũ tacitum hinc formet, ut tanto magis cavendum à veritate cenſeant, ne odium conſequantur. Cum potius inverſa plane ratione ſerio conſiderandum, & memori, imò conſtanti mente tenendum eſſet: quod illud, quod odium præcipue pariat, Veritas utique ſit: Adeoque ut præcipua eximia virtus, propter mendacii mancipiorum odia, minime negligenda aut formidanda. Ubi ſane non puerili atq; juvenili levitati, ſed virili locus eſt, tum intrepidæ animæ fiduciæ, tum veræ etiam, ſed a diſſimulationibus alienæ, prudentiæ, quæ diſcernat, non, an veritatem loqui conveniat, ſed unice, an loqui. Alterũ, ex arte noſtra medica, exemplũ, capi emꝰ hac vice, a meritiſſimo illo opprobrio, quo Scriptores & Doctores publici medici, arguuntur, promptiſſimi eſſe, morbis in charta, aut cathedra curandis; Ubi breviſſimo

mo tempore, graviſſimos quoslibet morbos proſcribant: In hoc certe aſſerto, quid veri ſubſit, placet hac vice brevibus diſpicere, & quæ inde ad medicinæ, non modo ſectatores, ſed tanto magis Doctores, redundare debeat utilitas, conſiderare Immenſam diſtinctionem, variis reſpectibus intercedere debere, inter medicum Practicum ſimpliciter, & ſive Scriptorem ſive Doctorem, ſtricto ſenſu, Artis facilè agnoſcet, qui ſummam diverſitatem perpenderit, qua medicus Practic9, ut unus homo conſiderandus venit, qui ſi quam habeat imperitiam aut imprudentiam, non niſi patientibus ſuis, iisq; (præſertim ſi error ejus in uno forte, aul altero tantum morborum genere hæreat, paucis, detrimentum afferre poſſit. Talis autem, qui aſſertiones, Veritatem & Experientiam Practicam præ ſe ferentes, in publicum tranſcribit; Aut conſideratu digno numero tyronũ pluriũ annorum ſucceſſu, tradit: Si in his errorem adverſus veritatem practicam admittat, non poteſt ab imputatione illa liberari, quo derrores non magis foveat, quam diſſeminet: Niſi quod ſola malitioſa proæreſis ipſi imputari non poſſit: Si nempe ipſe quoq; erraverit, & non potius falſas res illa mala arte propaget, ut qualicunque ſua autoritate & experientiæ opinione, illas pro veris confirmare, nempe ipſarum, ita uti falſe tradit propriam experientiam habere, videri affectet Profectò enim non levis illa eſt in medica re fallacia, ubi vanas traditiones a multis annis propagatas, hinc inde indies ita denuò recoquunt huius indolis homines, ut loco debitæ citationis atque allegationis aliorum, ipſi rem abſolute proponendo, illam non aliter, quam propria ſua experientia atq; aſſeveratione denuò confirmaviſſe, & numero teſtiũ veritatis novum pondus adjeciſſe videantur. Documentum huius rei omni exceptione maj9, eſt in Materia Medica. Ibi enim triviales practici, dum ſolidæ diagnoſeos, indolis ſive moris, & motus ſive moræ morborum, ex confuſiſſimis pathologiis, (quas deinde cum circumſtantiis morbi, juxta lectum patientis, nullo modo conciliare poſſunt) incerti, in deſideratiſſima illa tot laudatiſſimorum medicamentorum efficacia, omne

ſuum refugium collocant, adeoque magno ſtudio aque expectatione, commentarios, imò verò commendatione ac encomia ejusmodi, conſulunt. Poſtquam autem nihil tanto hiatu dignum experientia ſua deprehendere poſſunt, ingenti patientia, imò impatientia, ad novas hujusmodi revelationes reſpiciunt, ſi forte ibi vel certius quiddam denuò manifeſtetur: Vel inſigne quoddam artificium aut compendium fortaſſis communicetur, quo remedia hinc inde ab aliis tantopere laudata, ſed ipſorum experientiam deſtituentia, tandem efficiant, quod non poſſunt. Hac certe perverſiſſima ratione ſcribendi atq; docendi, hodierna imprimis quidlibet audendi plane effreni audacia, ſi traditiones, pollicitationes, hiſtoriæ & obſervationes, morborum, medicationum, remediorum, circumſtantiarum, ex tot & tam variis ſcriptis atque dictis, per claſſes morborum in unum coacervarentur, ne vel monſtroſa & prodigioſa hinc naſceretur narrationum congeries, non ſolùm innumeris difformibus pollicitationibus, ſed multiplicib9 contradictionibus, anxium diſcendi & experiendi animum penitiſſime confundens. Sed non licet hac fugitiva occaſione, exemplis tactis rei hujus Veritatem adumbrare: Suffecerit nobis illud dicere, quod Praxeos medicæ tyrones, nihil peius decipiat, quam inſufficiens, aut plane perverſa & veritati contraria, deſcriptio ac præfiguratio, moris atque habitus morborum ad curationem. Parit profecto hæc res illis, qui pronioris ad præcipitem audaciam ſunt indolis, tantam ſubinde peritiæ ſuæ medicæ, quam è ſcriptis aut promiſſis doctorum relegere facillimum ducunt, confidentiam, ut intempeſtiva ſua promptitudine, ſæpe numero per ipſa praxeos ſuæ initia quotidianas ſpei atque credulitatis ſuæ deluſiones experiantur: Imò ſubinde audacibus ſuis pollicitationibus, ne dicam aliorum contemptu, meritiſſimam confuſionem incurrant. Timidiores autem, decollante ita firma ſua fide atque ſpe, in tantas anguſtias conjiciuntur, ut nihil poſthac amplius, niſi trepido & fluctuante animo audeant, & toties jam à fundamen-

men-

mento illo, cui ſibi inſiſtendum eſſe perſvaſiſſimum habebant, deſtituti, etiam in illis rebus, ubi minor trepidandi erat cauſa, perpetuò ſibi & ſuis Auctoribus diffidant, neque recipere mentem, agnoſcere errorem, aut ſibi conſulere, valeant. Ipſorum etiam ægrotorum, eorumque qui hos ſangvine contingunt, haut raro intereſt, ut indolem morborum, quos patiuntur, verius prædictam habeant; Ut vel impatientiæ, vel ſecuritati, vel indulgentiæ circa diætæ libertatem, minus tribuant. Sæpiſſime quoque de profundioribus mali cauſis, & niſi his proſpiciatur, certis ulterioribus maluis ſucceſſibus, & morborum è morbis, ſeminiis, ita certiores fiant, ut ſibi tempeſtive proſpiciendi atque cavendi, ſolidam hic occaſionem nanciſcantur. Optandum itaque profectò eſſet, ut interiret peſſimus ille mos, morbos in charta breviter atque leviter curandi; Curam ſine diagnoſi veræ hiſtoriæ ſeu indolis progreſſus, ſeu temporis, quo medicus advocatur: habitus ad univerſam curam ſive curandi facilitatis aut difficultatis: Methodi, quomodo ſcopi ſucceſſivi, ordine aliquo, non ſaltem ſibi invicem ſubjungendi, ſed etiam, niſi priori obtento, ad alterum temerè progrediendum non ſit: Sine omnibus hiſce, aut præcipuis ſane circumſtantiis, curam, cito, tuto, & jucundè, ex improba illâ jactatione leviſſimorum quorundam medicamentorum inſtruendi, ſvadendi, ſpondendi. Unum profectò vidi ſcripti Practici exemplar & ſpecimen, ad cujus typum, optandum eſſet, ut omnia hiſtoriarum Curationum exempla inſtituerentur, modo cum fide. Eſt illud liber Conſultationum Lælii à Fonte. In hoc proponit morbi oblati primo hiſtoriam; ſubjungit ſuam, circa illum Theoriam: declara Methodum curationis, quæ adhibita ſit: ultimo omnium ſubdit & Eventum, & digno certe in tuto, modum ejus (unde nempe ſæpius eluceſcat, quanto plùs & rectiùs Naturæ ſubſidia per varias exonerationes morbo conſuluerint.) Hæc omnia vero cum fide feciſſe, indicio eſt eventus, quem addit; cum non multo pauciores hiſtorias, offerat, ubi non curatus, aut ita reſtitutus ſit æger, ut directæ efficaciæ medicationis illud adſcribere liceret, quam tales, ubi omnia ex voto

evenerint. Hac ratione ſi ſcribi deberent omnes illi exemplorum & obſervationum practicarum libri, duo hinc expectare liceret emolumenta maxima. Primo ut minor eſſet illorum proventus. Secundo ut inde major, imò maxima eventura eſſet Praxeos Tyronibus utilitas; Si nempe non ſolùm in caſibus favorabilibus, veram efficaciam, modò medicationis, modò naturæ ſe ipſam expedientis, modò veram difficultatem totius negotii, agnoſcerent: Imò, qui magis pollent judicio, ex ipſis etiam ſiniſtris eventibus, jam temperamenti, ſexus, ætatis, morborum prægreſſorum, circumſtantiarum accidentalium conſpicuarum, anni temporis & tempeſtatum &c. Jam indolis ipſius morbi abſoluti, aut ad haſce circumſtantias comparati; ex ſua quoque duratione, violentia, inconſtantia, aſſvefactâ pertinacia &c. conſiderati: Jam defectuum ipſius adhibitæ, methodi atque Therapiæ, dijudicationem utiliſſimam inſtituere poſſent. Hoc autem impoſſibile eſt factu, ex illis chartis, in quibus omnes patientes cito & certo, & ſi rem rectè æſtimes, miraculosè curantur: Nempe talibus remediis, quæ, cum ex ſua natura, vim hic aliquid tale perpetrandi non habeant, tantum ut externa ſymbola adhibita fuiſſe cenſenda ſint. Tanto miſerius autem hoc eſt, ſi totæ civitates, imò provinciæ reclament, quod medicus in hoc illo morbo curando notorie deficiat: Quem in charta pulcherrime curavit, ejusque rei, etiam exempla ſuæ artis commemoravit. Ita quis credat aſſerenti alibi miſſo a ſe medicamento reſtitutum fuiſſe patientem, a difficili morbo; Medicamento cuius ad manus ſit farrago, aliis etiam commendanda: Et tamen notiſſimum ſit, quod in loco, nullus patiens ſimili morbo laborans hoc remedio curari poſſit. Jam ſi quis omnia hæc moneri atque improbari, odioſum cenſeat; Obteſtor ejus conſcientiam, Juſtiusne ſit, in probis hujusmodi rebus, προσωποληψία injuſtiſſima, indulgere, neque ab illis dehortandi libertatem ſibi ſumere, quã etiam officii ratio non concedat magis, quam injungat: An vero gravibus ejusmodi doctrinæ medicæ detrimentis atque dam-

damnis, in perpetuam Veritatis practicæ procurationem tendentibus, quoquo modo obviam ire, & meliori circa res haſce uſui, viam ſternere: Eoque ipſo, quoad per vires licet, & cautos, providos, attentos, intelligentes reddere Praxeos Tyrones: Et Arti ab hiſce opprobriis repurgandæ, operam navare. Ego vero ſane conſtanter arbitror, magis neceſſarium hoc, & publicæ utilitati, & artis Medicæ ſplendori, imo Veritati ſtatuminandæ, exiſtere, quam privatorum hominum malis artificiis, aut meritò temnendæ indignationi atque odiis, concedere.

Præmittere hæc placuit publicæ inſinuationi Speciminis ſolennis, quod editurus eſt.

DN. JOH. PETRUS PAULI,

Görl. Luſatus

Medicinæ Candidatus digniſſimus.

Natus hic eſt MDCLXXVI. 9 Aprilis. Patre Viro Conſultiſſ. atque Ampliſſ. DN. JOH. GEORG. PAULI, Reipubl. Senatore Graviſſimo; Matre, JOHANNA ALBERTI, generis, & propriarum virtutum decore, etiam poſt beatam mortem adhuc laudatiſſima. Pietatis bonorumque morum ſerio ſtudio, ab infantia innutritum, & literarum elementis imbutum ſub domeſticis Præceptoribus: tradiderunt optimi Parentes, florentiſſimo civitatis Gymnaſio; ubi Celeberrimorum hujus Collegii Virorum, fide atque induſtria, per decennium ita eruditus eſt, ut Academicis altioribꝰ ſtudiis par, hæc ipſa 1697. in Celeberrima Jenenſi Academia aggrederetur. Ubi cum Medico ſtudio totus animus ipſum deſtinaret, in Phyſicis, tam B. DN. CASP. POSNERUM, quam DN. HAMBERGERUM, Philoſ. Profeſſores Celeberrimos: quam Excellentiſſimos Medicinæ Publicos Doctores, Magn. WEDELIUM, in Inſtitutiones & Materiam Medicam: Exc. DN. SLEEVOGT, in rem Anatomicam, & Medica diſputantem: Exc. etiam WEDELIUM, Phyſ. Civit. in Inſtit: audivit. Neque minus publicis lectionibus,

The-

Therapeuticis, Botanicis, Chirurgicis, & duorum Cadaverum fœmineorum Sectionibus, interfuit. Biennio hic exacto, Lipſiam acceſſit; ubi Curſum, ut vocant, Medicinæ, apud DN. D. LANGE, inchoatum, ſed hujus præmatura morte interruptum. Exc. DN. D. RIVINI ductu, ad finem perduxit. Cujus inſuper, Chymica, & Phyſ. Experiment. Collegia, æque ac Exc. DN. SCHAMBERGERI, & DN. WELSCHII, Collegia ſimilia, frequentavit. Publicam Sectionem maſculini Cadaveris. ab Exc. DN. PETERMANNO, adminiſtratam vidit: Nec minus Lectionibus publicis Magn. DN. D. BOHNII, Exc. DNN. D. D. & Prof. RIVINI, ORTLOBII, SCHAMBERGERI, aſſiduam operam navavit. Tandem, ultrà quinquennium indefeſſo conatu continuatis ſtudiis, ad Praxeos exercitium poſthac exequendum, applicuit animum. Cui ſcopo cum Jura atque Privilegia ſolennia, neceſſaria fore perpendiſſet, à Facultate noſtra illa decenter petere in animum induxit. Satisfecit inſtitutis in hunc finem Examinibus ſolennibus, & optimos in Arte profectus comprobavit. Quapropter ultimum in hoc genere publicum Specimen, Diſp. Inaugurali de SPASMIS, exhibere iuſſus eſt. Cui Actui cum dies V. Nonar. Octobr. aſſignatus ſit, ad illum Viros Illuſtrisſimos, Illuſtres, Magnificos, Pl. Reverendos, Conſultisſimos, Excellentiſſimos, Amplisſimos, Academiæ Proceres, Fautores, Hoſpites, Cives, ex officii ratione, officiociſſime atque humanisſime, invitamus. P. P. Sub Sigillo Facultatis Halis Magdeburgicis Kalend. Octobr. M. D C C II.

(L. S.)